



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 5. An res aliena commodata, deposita, conducta, &c. debet præferri  
propriæ, si utraque conservari nequeat, ut in periculo incendii, naufragii,  
&c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

fuit electus, tunc enim res domino suo perit. Quod si in utriusque commodum res fuisset commodata alteri, hic tenebitur solum de cul-palevi: si verò in solius commodantis de cul-palata, juxta regulas alibi traditas.

**Q. 5.** An res aliena commodata, deposita, condu-  
ta, &c. debet præferri propriæ, si utraque con-  
servari nequeat, ut in periculo incendii,  
naufragii, &c.

**Resp. I.** Si res tua propria sit pretiosior, po-  
tes eam conservare præ aliena commodata,  
deposita, &c. Quia non exigit æquitas, ut  
quis majore suo damno impedit damnum  
minus alterius. Sed tunc si res erat commo-  
data, juxta multos, teneris ejus pretium resti-  
tuere, ex l. 5. ff. *commod.* ubi dicitur commo-  
datarius non teneri compensare damnum ex  
incendio vel ruina ortum, nisi cum posset res  
commodatas salvas facere, suas prætulit. Nam  
æquum non est, ut alter damnum sustineat,  
salvis ejus rebus cui gratificatus est, & ob cu-  
jus solius commodum res sua adducta est in  
periculum.

**Resp. II.** Si res aliena sit pretiosior, teneris  
ex justitia eam præ tuis conservare. Quia rei  
alienæ ea debetur custodia, quam quisque  
prudens in suis rebus adhiberet: quisque au-  
tem servaret res suas pretiosiores, relictis vi-  
loribus. Sed tunc si res aliena erat apud te in  
coni-

commodum solius Domini, potes exigere compensationem totius damni, quod passus es eam servando: nam non teneris eam gratis servare tuo damno, cum in tuam utilitatem non detineas. Si autem erat in commodum tui, & Domini, potes repetere mediam partem damni, quia utriusque causâ res periclitabatur; & pars est, ut qui sentit commodum, sentiat & onus, pro ratione commodi. Si vero res apud te erat, in tui solius utilitatem, juxta Letitium & alios, non potes exigere compensationem pro tuis rebus. ex l. 5. cit. ff. *Commod.* Quia cum jactura rerum tuarum minoris, vel æqualis valoris teneris alterum præstare indein nem, cum tantum tui commodi occasione res ejus in periculum istud inciderit,

*Resp. III.* Quando res tua est æquè pretiosa, potes illam præferre alienæ, si res aliena sit apud te in commodum solius Domini, vel in commodum commune. Si vero res aliena sit in commodum tui solius, juxta multos, teneris eam tuæ præferre ex l. 5. cit. quia rem alienam in tui solius commodum acceptam teneris diligentissimè conservare: nec tunc ille debet tibi compensare, cum res sua tuis solius causâ periclitaretur: & cum solus ex contractu commodum sentias, pars est, ut solus damnum patiaris, præstando id, ad quod tenebaris.

Porro qui rem suam præ aliena conservat, dum tenetur alienam suæ præferre; tenetur

ad



ad restitutionem, quia fecit injuriam damno-  
sam.

**Q. 6. Quid est Mandatum?**

**Resp.** Est officium gratis suscepum in gratiam alterius: sive est obligatio aliquid agendi, in commodum alterius, gratis suscepta, v.g. negotium aliquod gerendi, aliquid ipsi emendi, &c. nam si pretio suscipiatur, est potius locatio operæ. Mandatum autem non potest esse, nisi de re licita, l. 6. ff. mandat. & re integra solvitur morte mandantis, l. 15. Cod. Mandati.

**Q. 7. Quænam sunt obligationes mandatarii,  
& mandantis?**

**Resp.** 1. Ex communi Mandatarius, & quis negotorum gestor, vel procurator tene-  
tur 1. Alterius negotium diligenter, & utili-  
ter gerere tanquam proprium: nam ad hoc se obligavit acceptando mandatum, nec ei ali-  
ter negotium commissum fuisset, ex l. 21.  
Cod. mandan. ibi: *Aliena negotia exacto officio  
geruntur: nec quidquam in eorum administratio-  
ne neglectum, ac declinatum culpa vacuum est.* 2.  
Negotium susceptum confidere: voluntatis  
est enim, suscipere mandatum, necessitatis consum-  
mare, l. 17 ff. commod. Nam ad id se obligavit  
illud suscipiendo. 3. Tenetur saltem de do-

10,